

Rediit Memoria Winkleriana , qvam in Gymnasio nostro haetenus solenniter recolui-
nus. Et meruit qvidem Vir Nobilissimus,
ut ab ultimâ viventium oblivione qvotannis
vindicetur , qvi sua liberalitate effecit , ne , qvoties
illucesceret hic mensis , deesset famæ velut posthu-
mæ gratulatio. Habemus vero nunc Beatos Trium-
viros , qvi statuerunt viventes , qvid excipere in Ca-
thedra nostra vellent mortui: KOHLIUM, Ele-
ctoris Brandenburgici Vice-Cancellarium , MAS-
CUM, Brandenburgicum & Anhaltinum Consilia-
rium ; WINCKLERUM deniq; Ullersdorpii &
Sommeraviæ Toparcham, Consulis nostri Hæredem
non degenerem. Ac fato qvidem , vix intra trede-
cim annos reddituro, factum nunc est, ut Rector jun-
cto penitus officio justa hæc solennia exsolveret. Nu-
per enim in KOHLIO spectavimus *IDEAM BO-
NI AULICI*, in MASCO, *IDEAM BONI FCTI*;
ut simul Auditores nostri intelligerent, qvam sive Au-
licorum , sive JCtorum virtutem sedulus in Gymna-
sio Juvenis, vel imitari posset, vel exprimere. Nunc,
si promissa sunt servanda , libebat sub jungere *IDE-
AM BONI OECONOMI*, ne nescirent nostrates,
qvantum domestica hæc Prudentia rebus etiam lite-
rariis conferre posset.

Ast dum ista volvuntur animo , novum planè di-
cendi argumentum sese offert , qvod B. WINCK-
LERO tanto minus displiceret in vita , qvantoma-
jori sedulitate curam rei Scholasticæ , verbis in testa-
mento expressis, videtur exoptasse. Nam anni efflu-
xerunt duo & triginta , ex qvo B. Keimannus, Rhe-
niani Donati prolixitatem coarctaturus, Enchiridion
vulgavit, studiis puerilibus non incommode. Postea
distractis exemplaribus Jenæ excusis B. Parens meus,
Auctoritate Nobilissimi Senatus, ad novam corrigendi
operam adductus , id egit, ut supplerentur , qvæcun-
que primam scribentis circumspetionem effugissent,
donec